



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

De Confirmatione 66

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

placeat, cui ad eò displicet, quicquid Christo Domino arridet.

Is autem cui libet Episcopo mandauit, docere suos obseruare quęcun- que ipse precepit. Nemo autem est Episcopus Episcoporum, nisi solus Christus Dominus, quemadmodum D. Cyprianus testatur. Neque etiam Concilia, quę de similitudine & conformitate externorum rituum decernunt, vnquam plus postulauerunt, quàm vt quilibet Metropolitanus in sua Prouincia eiusmodi conformitatem instituerent.

## Vicesima secunda Accusatio.

### *De Confirmatione.*

#### CAPVT LXVI.

**R**ÆSENS Accusatio Libri Reformationis est de Confirmatione. Ac rursus tota controuersia est de signis, non autem de re ipsa, & vera fidei ædificatione. Imprimis verò vehementer pugnant pro signo Chrismatis, de quo supra dictum est.

Videat autem Christianus Lector quot contrarietates & absurditates adducant. Primum omnium citant testimonia, quę ex Chrismate sacramentum faciunt, non minus, quàm sit S. Baptismus. Quod si verum est, iam non tantum septem, sed octo sacramenta habent: cum tamen iam dudum de septenario sacramentorum numero decertarint. Si verò ex Chrismate & confirmatione rem vnā faciunt, ac deinde contendunt, administrationem huius Sacramenti solis Episcopis competere, sequetur Sacerdotibus non licere Chrismate uti: id quod cum ipsorum consuetudine non concordat.

Longè verò absurdus est, quod ex Historia Ecclesiastica citant, de Nouato hæretico, nempe quod cum ea quę Baptismus consequi soleant, non essent solenniter in eo adimpleta, nec esset signaculo Chrismatis consummatus, nunquam potuerit Spiritum sanctum promereri. Annon est hoc virtutem Baptismi exinanire? Quomodo est incorporatio in Christum, si Baptizati Spiritum sanctum impetrare non possunt, nisi prius Chrismate inungantur? Certè Doctores Scholastici Chrisma tantummodo sacramentale quid esse agnouerunt, quod per se necessarium non sit, nõ autē sacramentū. Sic etiā Confirmationē pro Sacramēto nõ necessario. Adducūt etiam in principio huius Accusationis concionē quandam, Cypriani nomine inscriptam, quam probè sciunt non esse Cypriani. In ea enim commemoratur, quomodo in die Cœnæ Domini- cę, quando Chrisma consecrabatur, carceres pateant, & condemnati liberate donentur, id quod longè adhuc aberat temporibus Cypriani. Porro quod ex vero Cypriano adducunt, Ecclesiam vnum habere duntaxat altare, id contra ipsos facit: Plurima enim habent altaria. Verum absurditatibus istis, quarum adhuc longè plures supersunt, prætermis- sis, hæc sit generalis responsio ad Accusationem istam.

N

Primo: Chrisma vetustum quidem est, sed ad Confirmationem non semper adhibitum, sola autem impositio manuum semper fuit usurpata.

Secundò: Chrisma in se consideratum non est ad salutem necessarium. Quomodo autem piè & Christianè usurpari possit, suprà in Articulo de Baptismo indicatum est. Quod D. Augustinus lib. 2. contra literas Petilianæ cap. 104. scribit, Sacramentum Chriſmatis in genere visibilium sacramentorum sacrosanctum esse, sicut ipse Baptismus est, id sine dubio de sancto huius signi usu intellexit, non de institutione ac virtute, quod non dubiè Aduersarij ipsi fatentur. Alioquin enim octo Sacramenta eos profiteri necesse est.

Tertiò, Etiamſi Episcopi Impositionem manuum & Confirmationem sibi solis vendicarunt, hoc tamen nunquam ordinatum fuit, vt esset necessaria lex, sed ad honorem muneris Episcopalis, id quod D. Hieronymus testatur aduersus Luciferianos. Adhæc cum Aduersarij tanto tēpore permiserint, vt Episcopi Confirmationem per alios, qui Episcopi non sunt, administrarent, non est, quod de eo tantoperè conquerantur, quòd nos istud officium ac ministerium idoneis Pastoribus & visitatoribus commendauimus, quando scil. Suffraganeus eo fungi non potest. Quod enim aliquis titulum Episcopatus Cyrenensis, vel Bethleemitani pecunia redimit, ac deinde Episcopalem Ordinationem manifesta falsitate verborum, quæ in ea recitantur, suscipit, id nondum verum Episcopum facit: non magis quàm maritum efficit, si cui solum nomen tribuitur, ac matrimonialis benedictio: sponsam verò non habeat, cui coniugalem fidem & obseruantiam præstet. Ad verum Episcopum requiritur, vt etiam Ecclesiam ac populum suum habeat, in eoque quicquid est Episcopaliū munerum administret. Canones quoque non minus præceperūt, vt quilibet Episcopus Confirmationē & Ordinationē apud suos propria persona exequatur, vt quod presbyteris facere non liceat. Quauis etiā istæ Cōstitutiones, quas auersarij ipsi citāt, presbyteris potestatem faciunt, in necessitate Cōfirmādi, & id meritò quidē. Presbyter. n. & Episcopus vnū sunt, vna Ordinatio, & vna eadēq; dignitas, quæ admodum D. Hieronymus, & alij S. Patres testantur. Nomenq; Episcopi, & præcellentia dignitatis ac potestatis vni ex presbyteris ob id solummodo tributa est, vt omnia in Ecclesia concinniori ordine maiorique consensu peragerentur. Sed videatur articulus ipse in Libro Reformationis, ac deinde respiciatur ad verbum, & veram populi Christi ædificationem, suæque sponte consensus in hoc negotio sese effe-ret.

Quartò, Quantum ad formam & Ordinationem Confirmationis propositam in libro pertinet, quam aduersarij ita penitus abiiciunt, conferatur ea cum doctrina S. scripturæ, ac videatur, vtrum aliquid in ea insit, quod non sit ex verbo Dei depromptum. Cum è contra aduersariorum non intellecta, planèque histrionica actio, quam sub Confirmationis nomine exercent, partim S. scripturæ, partim veteris Ecclesiæ consuetudini & obseruationi repugnet.

Hæc.

Hæc verò grauissima Calumnia est, quòd ex interrogatione in Libro Reformationis posita, qua ad puerum dicitur, Placétne tibi, & vis persistere in eo, quòd Patrini tui apud Sanctum Baptisma pro te abrenunciaverunt Diabolo & mundo? inferunt, Librum Reformationis semel Baptizatis liberam facere optionem, vtrum velint in eo quòd in Baptismo ipsorum nomine Patrini professi sunt, permanere. Id quòd nec interrogatio in se, nec forma verborum importat, sed potius contrarium. Hæc enim verba. Placet igitur tibi, talem questionem efficiunt, in qua significatur, non aliter quàm affirmatiuè ad eam respondendum esse. Iam verò debent sanè pueri fidem suam etiam propria persona profiteri: adhuc siue libera eis detur optio, siue non, certè in Baptismo suo non permanebunt, nisi Deus gratiam eis impertiat, cuius virtute id ipsum etiam velint.

Iosua dicebat ad populum Israëliticum, Ios. ult. postquam populus circumcissus fuerat, *Quod si vobis displicuerit seruire Domino, eligit vobis hodie cui seruiatis.* Sic Helias: *Quousque claudicatis vos in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum, sin Baal, ite post eum.* 1. Reg. 18. His dictis noluerunt hi sancti viri liberam optionem dare populo, vel sequedi Dominum, vel eo desertum, post deos alienos abeundi: sed propria ac spontanea eius professionem requisierunt, Domino seruiendi & adherendi. Iam verò Liber Reformationis interrogationem istam, de qua Aduersarij pugnant, non adeò liberam posuit, sicut Iosua & Helias. Non enim habetur in ea, Placétne tibi manere in Baptismo tuo, aut non? Sed Ergo tibi placet. Quare nulla hoc loco iusta Aduersariis causa calumniandi fuit. Adhuc multum abest vt ista interrogandi forma occasionem præbeat rebaptizationi amplectendæ: imò magis continebit homines in Ecclesiis Christi: quorum plerique hanc solam ob causam ab Anabaptistis seducti sunt, quòd hi sacram scripturam illis obiecerunt, postulantes, vt quilibet per semetipsum fidem suam profiteatur, fœdus Domini suscipiat, eique se staturum polliceatur.

Quòd hactenus à pueris in Confirmatione factum non est, & apud Baptismum eorum fieri non potest. atque hinc Anabaptistæ rudes ac simplices homines, quoad Baptismum paruulorum, tantò facilius in errorem perduxerunt.

Quare cum constet, hanc Interrogandi formam cum S. scripturis consentire, & iuxta verbum Dei positam esse, nemo eam, quasi non satis circumspectè ac consideratè positam, reprehendere potest. Adhuc nouit Dominus, quòd bono pioque consilio ordinata sit, nempe vt pueri eò facilius ac melius possent in communionem & disciplina Ecclesiæ contineri, & in fide Christi ædificari.